



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA AVKAËNSIS\* DETRACTIS NONNULLIS TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI ONITSHAËNSI, NOVA IN NIGERIA DIOECESIS CONDITUR, AVKAËNSIS NOMINE Verba Christi sancta : « Euntes ergo in mundum universum, praedicatem Evangelium omni creaturae ...ego vobiscum sum » (*Marc. 16, 15*), tum scilicet adorandi Filii Dei praesentissimo auxilio, tum inexhausto Apostolorum christianorumque labore, tam felicem exitum habuerunt, ut iam nullus sit terrae angulus, in quo sancta Christi religio non cognoscatur. Qua re, volentibus Nobis operi propagandae fidei christiana in Nigeria aptius consulere, bene fieri visum est, si ibi novam conderemus dioecesim. Unde consilio petito a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Onitshaënsis districtus administrativos, ut hodie dicunt, vulgo Awka, Njikoka, Aguata, et eam partem districtus vulgo Oji River quae ad archidioecesim Onitshaëensem pertinet, detrahimus, iisque novam dioecesim condimus, quae ab urbe principe regionis, *Avhaënsis* cognominabitur, et Sedi metropolitanae Onitshaënsi, e qua nata est, suffraganea erit. Cuius Sedes in urbe Awka collocabitur, in templo Sancti Patritii, ibidem exstanti, quod igitur cathedralē erit cum iuribus talium templorum propriis. Statuimus etiam ut Canonicorum loco Consultores dioecesani elegantur, qui Episcopo consilio et ope aderunt, dum Canonicorum collegium constituatur. Cetera omnia ad ius Canonicum perficiantur ad amussim. Ea vero quae praescripsimus Venerabilis Frater Hieronymus Prigione, Archiepiscopus titulo Lauriacensi et in Nigeria Apostolicus Pro-Nuntius, ad exitum deducet, vel quem ille delegabit, factis nempe facultatibus quae necessariae sunt. Re vero acta documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur, rite subscripta ac sigillo impressa. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo septimo, Pontificatus Nostri quinto decimo.* IOANNES Card. VILLOT AGNELLUS Card. ROSSI Secretarius Status S. Congr. pro Gentium Evangelizatione  
seu de Propaganda Fide Praefectus Iosephus Massimi, Protonot. Apost.

Alfredus Zanchi, Proton. Apost.s.

n.

\*A.A.S., vol. LXX (1978), n. 1, pp. 8-9

© Copyright 1977 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana